DIE PRIMÆ FEBRUARII.

OFFICIUM S. CÆCILII EPISCOPI, ET MARTYR.

Et Patroni Principalis Ecclesiæ, & Diœcesis Granatensis.

DUPLEX.

Omnia dicuntur de Communi unius Martyris Pontificis, præter illa, quæ hìc assignantur propria.

OREMUS.

DEus, qui nos per Beatum Cæcilium Martyrem tuum, atque Pontificem ad agnitionem tui nominis venire tribuisti; concede propitius, ut per quem superni muneris rudimenta suscepimus, per eum subsidia perpetuæ salutis impetremus. Per Dñm. nostrum, & c.

IN I. NOCTURN.

Leguntur Lectiones De Libro Ecclesiastici. Confitebor. *ut in. Fest. S. Laurent. 10. August.*

IN II. NOCTURN.

Lectio iv.

QUoniam varios, multiplicesque triumphos, quos evangelica prædicatio cumulavit, tempus nos dinumerare non patitur, ad illos tota nostri sermonis confugit oratio, quos Hispaniarum Ecclesia reportavit, quæ à Sanctis Apostolis tot meruit habere Episcopos, quot dies mundus accepit. Verè mater luminum, fons dierum, quæ septenario corusco germinis sui toto Orbe resplendet. Felix, quæ meruit possidere tot virtutum pignora, quot illa arca præceptorum volumina sacrata gestavit.

℟. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & à seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. ℣. Descenditque cum illo in foveam: & in vinculis non dereliquit eum. Et dedit. *Benedict.* Christus perpetuæ.

Lectio v.

BEata cui in futura gloria tot adstant candelabra, quot hic habuit Evangelii præcones; tot coronæ, quot infulæ; tot bravia, quot tormenta. Meritò proinde de venerando illo sanctorum numere scribens ad Alphonsum, & Sancium Hispaniæ Reges, & ad ejusdem Regni Episcopos Sanctus Gregorius Septimus Romanus Pontifex testatur, à Sanctis Apostolis ad Hispaniam septem illos Antistites directos fuissem, qui destructa Idolo-latria Christianitatem

tatem fundaverunt, Religionem plantaverunt, ordinem, & officium in divinis cultibus agendis ostenderunt, & sanguine suo Ecclesias dedicaverunt.

℟. Desiderium animæ ejus tribuisti ei Domine. * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. ℣. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Et voluntate. *Benedictio*. Ignem sui amoris.

Lectio vi.

Ex his adest nobis hodie natalis Sancti Cæcilii, qui cùm mirabilem multitudinem Christi fidei subjugasset, Illyberi glorioso agone quievit. In cujus postea civitatis excisæ locum Granata successit, quæ Patroni, ac Parentis sui tanta semper pietate memoriam recoluit, ut etiam sub Maurorum tyrannide templum ejus nomini dedicatum, sacris Christianorum celebrandis, inviolatum extiterit.

℟. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus. ℣. Cibavit illum Dominus pane vitæ, & intellectus: & aqua sapientiæ salutaris potavit illum. Et coronam. Gloria Patri. Et coronam.

IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundùm Joann.

Nisi granum frumenti, *ut in festo S. Laurent. die* 10. *August.*

Missa propria Gaudeamus, &c. *pro Diœcesi Gra-*

Granatensi ; & Statuit, de Communi unius Martyris , pro reliquis Diœcesibus ; cum Evangelio, Nisi granum frumenti, *ut in die S. Laur.*

HISPANIARUM.

Porrectis nomine Reverendissimi Archiepiscopi, & Capituli Ecclesiæ Granatensis non minùs enixis , quàm supplicibus instantiis , quibus pro extensione Officii , & Missæ Sancti Cæcilii Episcopi, & Martyris , jam sub die 26. Augusti 1702. pro illa Ecclesia approbatum ad universa Regna , ac Dominia Serenissimo Regi Catholico subjecta Sacræ Rituum Congregationi supplicatum fuit , illisque per Eminentissimum , & Reverendissimum Dominum Cardinalem Belluga relatis , Sacra eadem Rituum Congregatio dictum Officium , & Missam respectivè singulis annis in die festo ipsius Sancti juxta approbationem Ecclesiæ Granatensi , ut suprà factam , ab omnibus Ecclesiasticis Sæcularibus , & Regularibus utriusque sexus , qui ad Horas Canonicas tenentur in cunctis Regnis , ac Dominiis Serenissimo Hispaniarum Regi Catholico subjectis , sub Ritu Duplici recitari , ac celebrari debere censuit , si Sanctissimo Domino nostro visum fuerit. Die 9. Aprilis 1729.

Factaque deinde per me Secretarium de prædictis Sanctissimo Domino nostro relatione , Sanctitas Sua benignè annuit. Die 6. Augusti 1729.

N. Card. Cosſia.

Loco ✠ Sigilli.

N. M. Tedeschi Archiep. Apamen. Sac. Rit. Congr. Secret.